

www.e-rara.ch

**Theses medicae de divina et admiranda hominis in utero
formatione**

Sesser, Paul

Basileae, ano 1581

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-7834>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

THESES MEDICAE
DE DIVINA
ET ADMIRANDA HO-
MINIS IN VTERO FORMATIONE:

*Quas diuino fauente Numine, ex decreto am-
plissimi, gratiosissimiq; Medicorum Ordinis, in
inclita Basiliensium Academia, pro supremo
in arte Medica consequendo gradu, de-
fendendas suscepit*

M. PAVLVS SESSERVS ALDEN-
burgensis Misnicus,
Ad xvii. Calend. Maij hora locoq; consuetis.



In magnis uoluisse sat est: dii cœpta secudent.

BASILEAE, EXCVDEBAT LEONHAR-
dus Ostenius, Anno M. D. LXXXI.



Catalog

THESES MEDICAE DE DIVINA

ET ADMIRANDA HO-
MINIS IN VTERO FORMATIONE.

Author, Martinus Thurnaeus, ex doctorum
Magistri, Praefectus, Medicorum Ordinarius, in
Regio Hospitalium Medicorum pro Imperio
in arte medica commentis, Lib. 1.
Ferdinandus Josephus

Mr. Pavlus Besserus Anden-
burgensis M.D.C.C.C.



In maiori nobilitate est: capta secundum.

BASILEAE EXCVDEBAT LEONHAR-
DVS OLSCHVS ANNO M.D.C.C.C.I.

1701



GENEROSIS AC MAGNIFICIS DOMINIS, D. IOHANNI GVILIELMO,

libero Baroni à Rogédorff, & Mollenburg, Domino in Sitzendorff, & Miderngraben, hæreditario, ac supremo Austriæ inferioris aulæ Magistro, Sac. Cæs. Maiest. &c. à cōsilijs, & Landmarescallo: D. VITO ALBERTO, Baroni à Puechaimb, Dño Hornæ & Vuiltpergæ, hæreditario utriusq; Austriæ dapifero, Sac. Cæs. Maiest. &c. à cōsilijs:

D. RVEDIGERO, Baroni à Starhemberg, Domino Efferdingæ, & Schonbuhel, Sac. Cæs. Maiest. &c. à cōsilijs, Dominis ac Mecœnatibus suis subiectis, &c. colendisissimis.



Pythagoras, grauiſſimus ille philoſophus, Generoſiſſimi Barones, Mecœnates clemētīſſimi, interrogatus, qua ratione homines Dijs ſimiles haberi poſſent, reſpondit: Si ueritatem amplecterentur, & cunctis beneficerent. Diuina hæc diuini philoſophi ſententiā, etſi de duplici illo fine, quem omnium actio- num noſtrarum Philoſophi cōſtituerunt, & omnem in eo bea- titudinem poſuerūt, Bono nimirum, & Vero, quorum illum a- gendo, hunc contemplando cōſequimur, intelligi poteſt: non incommodè tamen ad eos etiam referri poſſe uidetur, qui cœleſtis doctrinæ ueritatem amplexi, bene agen- do præclarum ſuæ fidei dant, ac relinquūt teſtimonium. In horum numero uos quoq; Generoſiſſimi Barones, reponendi eſtis, qui unā cum alijs Austriæ proceribus, cœle- ſtis ueritatis amore compulſi, non ſolum ipſi ſynceriores Euangelij doctrinam am- plectimini, uerum etiam cum alijs, qui eius deſiderio tenentur, communicare, & ad poſteros etiam tranſmittere (quod ſummi beneficij loco ducendum) pio ſtudio cona- mini. Eius rei locupletīſſimos habetis teſtes Theologos, quorum opera, in docendā, & longè lateq; ſpargendā ac propagandā doctrinā hac, & Pontificiorum extirpan- dā feliciter uſi eſtis: in primis uerò Reuerendiſſimum uirum Dn. Laurentium Be- cherum, cuius fidem, dexteritatem & conſtantiam, (ut taceam alias eius uirtutes, & ra- ras animi dotes, in primis benè de alijs merendi ſtudium: quas quidem, ſi locus hic ferret, lubentiſſimè prædicarem, cum tanta eius in me extent merita, ut nullam eorum partem non cogitandā quidem, nedum referendā gratia aſſequi poſſim) in gubernā- do, & ad pietatem inſtituendo piorum cœtu cum Viennæ, tum Hornæ ſatis ſuperq; perſpexiſtis. Merito itaq; hanc uobis laudem tribuere poſſint, uos & diuinæ uerita- tis aſſertores eſſe conſtantiſſimos, & ut ea quoq; quā plurimis innotſcat, nihil non reliqui facere: Quā quidem laude ad nominis immortalitatem conſequendam, & ut Pythagoras exiſtimabat, ad æcorum ſimilitudinem arripiedā nihil præclariuſ, nihil

utilius, nihil efficacius. Iam uero, si quæ in me contulistis beneficia, commemorare instituerem, tempus me deficeret, & nihil aliud agere uiderer, quam arenam numerare. Vt enim taceam innumera alia, uestro potissimum consilio atq; hortatu illustres duo Ordines Comitū & Baronum, Equitum ac Nobilium inclyti Archiducatus Austriæ inferioris, domini ac Mecœnates mei clementissimi, hos mihi ad conficiendum artis medicæ curriculum, sumptus decreuerūt. Vobis igitur post Deum, quicquid in studijs hæcenus profeci, acceptum fero: uobis quicquid mihi honoris accessit, omne debeo: à uobis quicquid spei superest, omne expectandum. Vt itaq; aliquam saltem (parem enim non possum) uobis gratiolam reponerem, & aliquod meæ erga uos gratitudinis extaret argumentum, has meas, de diuina & admiranda Hominis in utero formatione theses medicas, quas pro supremo in arte medica consequendo gradu defendendas suscepi, ad uos mittere, uestrisq; præclarissimis nominibus nuncupare, & inscribere uolui, ac debui. Hunc igitur foetum meum, licet fortassis immaturum, quem uobis obstetricatibus, non sine difficultate sum enixus, suscipite, uestroq; patrocinio tueamini.

His Generosissimi Barones, Mecœnates clementissimi ualete, & studia mea uobis amplius commendata esse patiamini. Datæ Ba-
sileæ Rauracorum idibus Aprilis, anno Salutis

MDLXXXI

V.V.V. Celsi.

Subiecti.

PAVLVS SESSERS.

THESES MEDICAE.

I ▶



MNIBVS rebus hoc à Natura tributum est, ut non solum eum, in quo collocatæ sunt, statum diutissimè tenere, uerum etiam in meliorem se semper recipere contendant. Omnes enim ad supremi & perfectissimi Entis naturam quàm possunt proximè accedere, & eius diuinitatis quodammodo participes fieri cupiunt.

I I.

Hoc perpetuitatis & perfectionis desiderio etiam omnes tenentur, propter tamen materiæ, cui immersæ sunt, impuritatem imbecillitatemq; in eum quem appetunt, statum peruenire nequeunt. Quotquot igitur hac materia constant, sui interitus causam insitam habent, & certo tempore necessariò intereunt.

I I I.

Hunc interitum præ cæteris animalia ipsa, utpote reliquis præstantiora, à se amoliri, & quod singulorum conseruatione non potuerunt, speciei propagatione ab eo se uindicare, & in aliquem immortalitatis statum transferre conantur.

I I I I.

Hinc Natura singulis generandi, & sibi aliquid simile producendi desiderium indidit, & diuersa etiam procreationis prima principia, quorum alterum formæ & efficientis, alterum uerò materiæ rationem obtineret, constituit.

V.

Sunt autem hæc Mas & Fœmina: quorum sexus in plantis, quæ naturalibus duntaxat functionibus incumbunt, nec loco moueri possunt, confusus est: in animantibus autem, quæ sensu etiã & motu præditæ sunt, distinctus, maximè autem in homine, qui rationis particeps ad alias præstantiores functiones fuit comparatus.

V I.

Distincta sunt hæc procreationis principia, tum facultate quadã, tum etiam certis partibus, quæ procreationi inserviunt. Mas enim in alio duntaxat gignere, fœmina autem in seipsa potest. Præterea Mas suum alimentum perfecte coquere, Fœmina autem non potest.

VII.

Horum complexu coituq; materia quædam confertur, semē nimirum, in quo illorum uis & potestas continetur, & ex quo tertiu quippiam efficitur.

VIII.

Semen hoc ab utroq; parente fluit: quod tamen diuersam omnino in fœtus constitutione conditionem habet: Virile enim partim materiæ, partim efficientis, muliebri autem solius materiæ ratione obtinet.

IX.

Mulieres emittere semen hac potissimum ratione doceri potest, quod testiculos & seminis uasa acceperunt crebris flexibus atque circuitib. intorta: quæ, sicut nulla alia, frustra à natura minimè sunt condita.

X.

Hoc semen cum sit principium tantū passiuum, nec per se quicquam efficere possit, ab Aristotele pro semine non fuit habitum.

XI.

Semen enim dupliciter ab Aristotele accipitur: primo pro humore illo, qui ab omnibus gignentibus excernitur, ex quo tanquā materia omnes partes spermaticæ formantur, diciturq; à philosopho *σπέρμα ἀνέμωτον* aut *τὸ γυναικ.* & *τὸ σπέρμα τῆς ἀνδρ.* quod etiam in mulieribus esse dicimus: Deinde pro principio effectiuo, quod in ipsa seminis massa latet: Quod modò *γυναικ.*, modò *γεννῶν*, aut *παραγινῶν*, modò *ἐκ τῆς ὀργῆς λόγον ἀνδρ.* alijsq; nominibus Aristoteles uocat. Hoc in solis uiris inesse cum philosopho statuimus.

XII.

Cum itaq; Aristoteles semen uiri excerni, & utero rursus elabi dicit, id non de priori illo, quod materiam partibus spermaticis præbet, & *ἐκ τῆς ὀργῆς* est: sed de posteriori hoc, quod tanquā efficiens nō ingreditur rei constitutionem, intelligendum est.

XIII.

De seminis generatione & natura multi multa disputant. Aristoteles nihil aliud esse existimat, quàm ultimi alimenti, quod singularum partium nutritioni fuit destinatum, utile excrementum. Hinc partes similes ijs, quarum fuit excrementum, ex se producere potest. Potentia enim tale est, quale fuit actu id, à quo fuit decisum.

XIII.

Alij non excrementum, sed putioris & pinguioris alimenti sanguinei

guinei portionem esse statuunt, ui testium per uasa seminalia ab uniuerſo corpore attractam, & in humorem album conuerſam, multoq; ſpiritu perfuſam: unde ex immodica eius excretionē corporis diſſolutio, refrigeratio, & debilitas conſequitur.

XV.

Alij colliquamentum totius corporis & partium eius eſſe putant: quorum ſententiam Ariſtoteles doctè reſutat, & nos cum eo reiſcimus.

XVI.

Materia ſeminis, ſiue ea reſiduū ſit ultimi alimenti, ſiue pinguioris & purioris ſanguinis portio, ab uniuerſo corpore, præcipuè autem partibus principibus, epate nimirum, corde, & cerebro, quæ ceteris alimentum ſuum perfectius elaborant, in teſtes per uasa ſeminalia trahitur.

XVII.

In iſtis autem teſtibus uerè ſemen efficitur, & ultimā perfectionem adipiſcitur, partim circumſtantium partium calore, partim inſita etiam ipſorum ui & facultate: diſſecti enim ſemine pleni reperiuntur, quod pro ſui nutritione conſecerant: præparationem autē quandam in iſtis uas ſpermaticis acquirere uerifiſimile eſt.

XVIII.

Ariſtotelis ſententiam de uſu teſtium probare non poſſumus, qua eos pōderis appenſi inſtar cortendere, & uasa ſpermatica, quibus omnem ipſe generandi ſeminis uim attribuiſſe uidetur, ſtabilire, ac propterea non neceſſitatis, ſed uſus duntaxat melioris gratia factos eſſe exiſtimauit.

XIX.

Omnino enim eos inter principes corporis partes numeramus, quatenus nimirum ſpeciei conſeruandę inſeruiūt, & uſum aliquē toti communem præſtant. Ablatis enim iſis, totius corporis robur, temperamentum, propriaq; ſubſtantia inuertitur atq; immutatur. Quemadmodum Eunuchi id declarant.

XX.

Huius immutationis cauſa ſolius caloris, quo ipſi abundant, & quem cum alijs particulis communicant, diminutio eſſe uidetur.

XXI.

Semen uirile in uterum bene temperatum, & decenti conformatione effectum, ac bene diſpoſitum, inmiſſum, muliebri permisce-
tur, & ex utriuſq; cōmixtione unum quid conſtituitur, quod *νύμφα*

Ariſtotele

Aristoteli, Hippocrati interdum *γυνή* appellatur. Hoc uterus undiq;
complectitur, & suo calore fouet: quæ comprehensio tamen non-
dum uerè conceptio dicitur.

XXII.

Tunc autem mulier propriè concepisse dicitur, quando quæ la-
tet in semine uis procreandi, in sita uteri ui & facultate ad opus ex-
citatur. Hæc quæ propria est uteri actio, sopitam nimirum seminis
uim & delitescentem in eo potestatem excitare, & ad agendum ex-
timulare.

XXIII.

Quæ autem & qualis sit illa uis in semine latens, quam *παραγμένη*
seu *γεννητική* philosophus uocat, etiam inter doctissimos dubita-
tur. Stoici animam mundi esse putarunt: Simplicius naturam com-
munem seu naturantē appellauit. Alij solem in telligunt, qui tepo-
re suo omnes nostratis mundi particulas à secun dis causis præpara-
tas animet: Vnde Aristoteles inquit: Sol & homo generant homi-
nem. Aristoteles diuinius quid elementis, & proportionē elemen-
to stellarum respondere ait.

XXIV.

Piè illi mihi sentire uidentur, qui per *ἀνομιαν παραγμένην*, diuinam
illam procreandi potestatem à Deo cunctis animantibus inditam,
& efficacissimo suo uerbo (Crescite & multiplicamini) singulis at-
tributam intelligunt.

XXV.

Hæc facultas calore & spiritu tanquam instrumentis utitur,
quibus per uniuersam seminis molem discurrentibus omnes cor-
poris partes rudi Minerua, instar pictoris cuiusdam, primum deli-
neat & discernit.

XXVI.

Atque hic est primus seminis motus, quo ipsum in actum tradu-
citur, & iam id ipsum, quod antea *ἀνομιαν* erat, animatum nimirum
fieri incipit.

XXVII.

Singulæ autem partes ex conuenienti & apta materia, nobilio-
res nimirum ex purissima, ignobiliores ex impuriore efficiuntur: se-
men enim nequaquam simplex est, & *ὁμοιομερές*, sed difformibus
constat partibus, pro partium generandarum diuersitate.

XXVIII.

Hæc discretio tamen non fit partium dissimilium segregatione,
&

& similium cōiunctione: (Nulla enim facultas datur, quæ hoc præstare possit: præterea congregatis omnibus, uerbi gratia, partibus ossibus, unum tātum fieret os magnum, & sic de alijs particulis) sed quia unaquæq; particula seminis hanc in se habet uim & facultatem, ut hoc & non aliud ex se producere queat. Hæc ipsa facultas in actum producitur facto motionis initio.

XXIX.

Varij itaq; in hoc opere existunt motus, pro partium seminis ad diuersarum partium formas suscipiendas aptitudine, qui omnes à facultate illa generatrice suis instrumentis diuerso modo utente proficiscuntur.

XXX.

Partium similiarium temperiem ipsa facultas alteratrix, qua ceu ministra *παρασκευη* utitur, calore uel frigore efficit: organicarum autē structuram primo & per se ipsa *διόλου παρασκευη*.

XXXI.

Galenus totam fœtus gestationem in quatuor tempora diuidit. Primum est illud, quo species etiamnum seminis præpollet, quam Hippocrates *σπρωγνυμα*, *ἀλλὰ γονίον* appellat. Secundum, quo conceptus substantia sua non semen, sed carnem representat, & hoc *νήρυμα* dicitur Hippocrati. Tertium, in quo tria principia perspicuè uidere licet, ac reliquarum partium lineamenta adumbratam sui configurationem habent: quam constitutionem animantis Hippocrates *ἐμβρυον* nominat. Quartū, cum iam artus uniuersi articulati sunt, et embryo instar animalis moueri incipit, quem *παιδίον* & *νήρον* appellat Hippocrates.

XXXII.

Concepto in utero semine primo omniū tres membranas, quæ fœtum inuoluant, & excrementa eius intra se recipiant, formari uult Galenus, resiccatis crassioribus seminis partibus instar crustæ, ab uteri calore ambiente: Primam & extimam *χόειον*, quæ totum fœtū inuoluit, & duabus constat membranis, inter quas feruntur ad fœtum nutriendum multæ uenulæ & arteriæ. Mediam *ἀναισθητικήν* tenuem, infirmam & angustam, quæ medium fœtum tantum fasciæ modo ambit. Duabus etiam tunicis constare dicitur, intra quas urina fœtus contineatur. Tertiam *ἐνδομυϊκήν* fœtui proximam, quæ totum à uertice ad imos pedes inuoluit: intra hanc & fœtum sudor & aliæ sordes colligi dicuntur.

XXXIII.

Verū primò efformari membranas uerisimile non uidetur, cū

B non

non tantus sit uteri calor siccus, qui seminis exteriores partes indurare queat: præterea quid opus est ijs, cum genitura utero comprehendatur, nec iam sudor aut urina colligatur? Quin imò Galenus ipse fatetur, necessarijs partibus naturam primo incumbere.

XXXIII.

De membranarum numero meritò etià ambigitur. Media enim *ἡ μεμβράνη*, quæ latinis ab intestini forma, quam refert, farciminalis dicitur, non membrana est, neq; membranæ constat substantia, sed mucor quidam ad placentam (ut uocant) pertinens: in brutis tamen membranæ speciem referre dicitur.

XXXV.

Duæ itaq; tantum erunt membranæ *ἡ ἐνὶ κοιλίᾳ* & *ἡ ἐνὶ περιτόνῳ*, quæ oriuntur à membranis corporis fœtus internis, peritoneo nimirum & carnosa: has unà cum alijs membranis, quæ principalia membra inuoluunt, in prima delineatione oriri credibile est.

XXXVI.

Mirabilis est harum membranarum, quas secundas & secundinas nostri uocant, exortus & productio. Vasa enim umbilicalia, ut rutius ad epar iecorum (ut appellant) peruenirent, duabus tunicis à natura donata sunt, quibus inuoluuntur. Harum interior à peritoneo, exterior à carnosa membrana oritur. Comitantur aut uasa illa usq; ad eorum distributionem, postea uerò in miram magnitudinem dilatantur, & recurrunt, totamq; genituram in star uesicæ obducunt. In hoc recursum uicem mutant, & exterior quæ continua erat carnosæ membranæ, fit interior, & fœtum immediate ambit, diciturq; *ἡ ἐνὶ κοιλίᾳ*. Altera, quæ erat interior, & à peritoneo orta, fit exterior, & *ἡ ἐνὶ περιτόνῳ* uniuersam ambit, & uocatur *ἡ ἐνὶ περιτόνῳ*.

XXXVII.

Alij nō membranas, sed uasa umbilicalia primò efformari, & in star radicularum ad attrahendum alimentum in uteri iecur emitti uolunt: quemadmodum in plantarum seminibus uidemus radículas quasdam effingi, quibus in terram defixis humoralimentarius seu uenis quibusdam attrahitur.

XXXVIII.

Vasa hæc non formationi, sed nutritioni fœtus duntaxat inferuiunt: itaq; non uidetur probabile primò ea efformari, cum ijs, principalibus membris nondum constitutis, minimè opus sit. Semen enim ut semen non nutritur, sed partes seminales, quæ sanguinem in semen conuertere possunt.

Itaq;

XXXIX.

Itaq; uerior hæc conformationis ratio esse uidetur: Excitata facultate generatrice conceptus minimè ociosus est, sed quolibet eius pars in suum opus incumbit. Itaq; fœtus partes æquè omnes conformationis suæ adumbrationem & rudimentum nanciscuntur, licet non pariter omnes suam consequantur perfectionem. In primis uerò in medio semine tres conspicuæ apparent bullæ, quæ principibus tribus membris respondent. Sic delineatæ partes successiue postea & paulatim efformantur, donec perfectionem & formam absolutam adipiscantur.

XL.

Formantur principalia membra, epar quidem ex sanguine uenoso uenis circumfuso: cor ex arterioso, membranis & uillis ex semine iam conformatis accrescente: cerebrum autem ex puriore seminis materia, utpote quod nobilissimarum functionum instrumentum futurum erat.

XLI.

De ordine conformationis membrorum principalium magna est inter Philosophos & Medicos cōtentio, quorum hi epar, illi cor primò efformari uolunt. In qua controuersia difficile est admodum aliquid certi statuere, cum utriusq; uisceris summa ad uitam & nutritionem sit necessitas. Vt enim cor non sine sanguine, quem epar mittit, ita nec epar sine calore uitali, quem cor infundit, uiuit. Nos tamen disputationis causa maiorem cordis, quàm epatis necessitatem esse statuimus. Et cum natura in generando respiciat, quod magis est necessarium, illud etiam primò fieri cum Aristotele fatemur.

XLII.

Interea dum partes fœtus delineantur, Natura sanguinem, cuius mulier singulari naturæ priuilegio plus quàm pro suo alimento requirit, generat, ad uterū per certa uasa effundit, ut eo fœtus nutriatur & augeatur.

XLIII.

Vteri uasa duplicia sunt: quorum alia descendētia, alia ascendētia uocant. descendētia duæ sunt uenæ, & duæ arteriæ, seminales dictæ: uenarum dextra à trunco cauæ uenæ oritur: sinistra autē ab emulgente sinistra: arteriæ ab aortæ trunco infra renes.

XLIIII.

Hæc uasa postea diuiduntur in duos ramos, quorū minor utriq; testi muliebri inseritur ad seminis cōfectionem: alter uerò & maximus per elationem uteri sedem distribuitur.

XLV.

Vasa uteri ascendencia duæ etiam sunt uenæ, & duæ arteriæ, à uenæ cauæ & arteriæ magnæ præcipuis ramis non longè ab inguinibus ortæ: quæ per exteriora uteri latera uariè dispersa in ipsum fundum tandem inseruntur.

XLVI.

Per hæc uasa sanguis cum uenofus, tum arteriosus, in uteri internam tunicam fungosam, & multis foraminibus instar spongiæ, aut pumicis peruiam roris modo effunditur, cōmixtis ibi & confusis arterijs simul & uenis: quo paulatim concrescente caro quædā mollis & rotunda efficitur, quam alij à figura orbiculari placentam, alij ab officio, quod præstare uidetur, iecur uterinum appellant.

XLVII.

Sanguis iste quo foetus nutritur, menstruus aliàs dicitur, eò quòd singulis mensibus mulieres non grauidæ eo repurgari solent.

XLVIII.

Cum enim fœmina humidior frigidiorq; mare sit, idcirco sanguine magis abundat, concoquens quidem alimentum, quantum expedit: ueruntamen propter caloris imbecillitatem non ualet, id quod redundat, per halitum digerere. Ne itaq; superfluum hic sanguis aliquam in corpore noxam pariat, singulis mensibus à natura per loca muliebria expurgatur.

XLIX.

Est autem hic sanguis minimè uenenatus, ut multi perperâ Hippocratem de morbofis mulieribus loquentem interpretantes existimant: sed sola copia & quantitate peccans. Quo respectu ab Aristotele uiciosus & ægrotans dicitur.

L.

Erumpit in uirginibus circiter decimum quartum annum: quia calor tunc acrior redditus fundit eum: deinde quia non amplius absorbitur in auctorem.

LI.

Eruptionis causa non est lunæ motus, cum non omnib. eodem tempore profluat: sed partim copia, nec tamen ea sola, cum etiam quæ parum sanguinis colligunt, suas seruent periodos: partim etiā temperiæ, & naturæ consuetudo.

LII.

Expurgatur hic maximè per uteri ceruicem, in quam ramuli quidam ab ascendentibus uasis implantantur.

LIII.

In prægnantibus menses non fluunt, quia tunc Natura omnem sanguinem retrahit, & in uterum pro fœtus nutritione transmittit.

LIIII.

Nutritur autem fœtus purissimo sanguine, quem ex massa tota sanguinea attrahit: nisi sanguis totus sit corruptus & uiciosus.

LV.

Nutritio fœtus hoc modo perficitur: in carnem illam orbicularē, quam ex affluxu sanguinis interiori uteri membranæ instar epatis adnasci diximus, uasa quædam, quæ umbilicalia dicuntur, infinitis ramulorum osculis inferuntur, per quæ fœtus cum sanguinem pro nutritione, tum spiritum & calorem uitalem accipit.

LVI.

Hic sanguis in epar infantis trahitur, ibiq; melius concoquitur, & per uniuersum corpus distribuitur. Neq; enim per os nutritur, cum nulla alimenti uia ad illud pateat, & cibum per os sumtum nondū conficere fœtus possit.

LVII.

Vasa umbilicalia (quæ una uena & duæ sunt arteriæ) Galenus ab uteri uasis oriri, ijsq; non solum contigua, uerum etiā continua esse existimauit. Cui sententiæ cum ipse Aristoteles 2. de Gener. animal. tum etiā ratio & sensus repugnant. Ea enim oscula non perueniunt ad internam uteri membranam, sed inter ea & membranam caro illa orbicularis interiacet: præterea si uasorum esset continuatio, quanta in partu sanguinis profusio ex illorum ruptura oriretur?

LVIII.

Vasorum itaq; umbilicalium talis est exortus. Vena à caudice uenę portæ, quam primum è iecoris cauo prodijt, arteriæ autem ab arteria magna lumbos percurrente oriuntur, & duabus inuoluta mēbranis longissimè in homine producuntur.

LIX.

Longissima autem à Natura ideo facta fuerunt uasa umbilicalia, ut diutius animal, si fortè in muliebribus locis hæreret, spiritum à matre trahere, ac superuiuere posset.

LX.

Nutritio eodem modo, quo in adultis absoluitur, attractione, retentione, coctione & assimilatione. Eadem quoq; quæ in adultis excrementa gignuntur, urina nimirum, feces & sudor.

LXI.

Urina per pudendum excernitur, & amnio membrana excipi-

tur & continetur. Neq; enim admodum acris est, cum dulci sanguine infans nutriatur, & multo abundet humido, quod acrimoniam illius obtundit.

LXII.

Vrachon in homine nullum reperiri, qui in medio uasorum umbilicalium incedens urinam intra chorion & amnion deferat, testis est Arantius: Funiculū enim illum, qui conspicitur, minimè cauum esse, sed ligamenti uice fungi affirmat.

LXIII.

Fæces autem in ipsis intestinis usq; ad partum reseruantur. Sanguis enim, qui ex iecore uterino per uenam umbilicalem attrahitur, fertur ad truncum portæ, qui eum iecori tradit: ab eo uena caua puriorem trahit partem, & in corpus uniuersum distribuit: crassior ad lienem, tenuior & biliosior ad cystim fellis transmittitur. Quod tanquam excrementum relinquitur per mesaraicas ad intestina deferitur, ex quo quicquid boni superest, intestina sibi nutrimentum eliciunt: Quod autem prorsus inutile tanquam fex quædam sanguinis (υμενιον Aristoteli) existit, per oscula uenarum in intestina hiantia effunditur.

LXIII.

Sudoris materia cum admodum tenuis sit, facile resolui & discuti potest. Per sudorem igitur, quem Galenus libro primo de semine, Amnio contineri dicit, urina ipsa intelligenda uidetur.

LXV.

Formationis tempus certum definiri nequit, cum non omnium cōceptuum eadem sit ratio, nec idem facultatis formatricis robur. Fœminæ tamen maribus tardius omnium partium perfectionem adipiscuntur: licet in lucem editæ citius crescant & adolescant.

LXVI.

Hippocrates tamen Fœminæ conformationē quadraginta duobus, maris autē triginta diebus aut paulo pluribus paucioribus uel perfici, argumento purgationis menstruorum à partu eundē dierum numerum obseruantis probat.

LXVII.

Cur autem modò Mas, modò Fœmina generetur, causa in ipsius seminis naturam, quam fœtus imitatur, est rejicienda. Semen enim ab utroq; parente emissum, uel qualitate sua debile uel robustum, quantitate uerò sua multum uel paucum est. Si itaq; utrunq; sit forte, mas generabitur: si debile, fœmina. Sin uerò alterum maiori ex parte forte, alterū debile, pro quātītatis ratione diuersus etiā sexus exorietur.

Gemel-

LXVIII.

Gemelli oriuntur, cum uel tanta est copia materię, ut duobus uel pluribus fœtibus generandis sufficiat: uel etiam materia ipsa finditur & diuiditur, præsertim si diuersis uteri sinibus excipiatur.

LXIX.

Fœtus postquam maturitatem suam in utero matris adeptus est, plenius alimentum desiderat, & locorum angustia & suo pondere intus diutius nequit cōtineri. Caput itaq; quod totis ferè octo mensibus sursum erat, instante partu inuertit, manibusq; & pedibus calcitrando membranas rumpit: quibus ruptis urina effluit, quod instantis partus indicium est.

LXX.

Ex hoc urinę profluuium duo cōmoda oriuntur. Primo, uteri orificium & loca muliebria lubrica & laxiora reddūtur, ut eo facilius sit infantis exitus. Secundo, maius in utero spaciū efficitur, ut eò facilius se fœtus in caput possit conuertere.

LXXI.

Homo omnium animalium difficillimè in lucem prodit, propter capitis magnitudinem & rotunditatē. Reliqua enim animalia minori capite, & in acutum exeunte prædita sunt.

LXXII.

Ad partum etiam concurrunt, tum ipsa uteri facultas expultrix, quæ fœtum magno conatu expellit: tum ipsa mulier, quæ retento spiritu & contra stis intentisq; abdominis musculis fœtum strenuè extrudere nititur.

LXXIII.

Abortus, qui nihil aliud est, quàm immatura & uiolēta fœtus exeretio, uarijs de causis potest contingere: ut quando uterus uel humorum pondere, quos supra uires continet, oppressus: uel demorsus humore in eum effuso, ruptis ijs in quibus continebatur membranis: uel propter fœtum putrem & saniosum irritatus, aut alia de causa extra ipsum posita uexatus, ut febre uehementi, alui profluuium, sanguinis immodica uacuatione, saltu, clamore, ira, tristitia, timore, uictu parciore aut medicamentis ἀμβλωτικαῖς ante legitimum tempus fœtum corrumpere & emittere cogitur.

This is a highly decorative initial letter 'D' from a Gothic manuscript. The letter is rendered in a bold, black, stylized font. The interior of the 'D' is filled with intricate floral and foliate patterns. A small, stylized face with a crown is positioned at the top center of the letter. The letter is surrounded by elaborate, symmetrical flourishes that extend upwards and outwards, creating a large, ornate frame. At the bottom of the letter, there is a small, stylized figure or face. The overall design is characteristic of the late Gothic or early Renaissance period, emphasizing intricate detail and symmetry.